

§. VI

INIMICI ILLIVS QVI REVS ACCVSABATVR A
TESTIMONIO FERENDO ERANT
ARCENDI

Magnum imprimis cautionis et summae prudentiae, qua prae aliis populis in iudiciis suis exercendis utebantur Iudaei, testimonium nobis praebet insignis ille delectus, quem in criminis cuiusdam capitalis TESTIBVS constituendis faciebant. Decem enim eorum erant genera, uti SELDENVS a) ex Ebraearum antiquitatum Scriptoribus praestantissimis nos docuit, quos non idoneos, a *testimonio* perhibendo arcebant, et in patria lingua פסולים *ineptos, illegitimos, haud idoneos*, uocabant. FOEMINAE nimirum, quia, ubi de binis TESTIBVS in sacro codice sermo habetur semper sexus masculinus nunquam autem sequior intelligendus fit; SERVI, quibus adde, si lubet, LIBERTINOS, hi enim plenam libertatem manumissione non sortiti erant; MINORES, aetate uirili non gaudentes; FATVI, SVRDI, una cum MVTIS; COECI, IMPII, IMPVDENTIORES, FALSI ante conuicti, de quibus nempe affirmari poterat, quod alia occasione in casu quodam forensi, turpissimis rationibus commoti, falsum perhibuerint *testimonium*; et ultimo tandem loco PROPINQVI ad *testimonium* de rebus capitalibus ferendum, certis ex rationibus, quas e lege sacra more consueto adiiciunt, non admittebantur. Ne autem nimis remotiora et a proposito meo longe aliena proponere uiderer, mittam ea, quae iamiam a SELDENO de decem non idoneorum TESTIVM generibus, nec non de rationibus cur a *testimonio* agendo

a) de Synedriis et praefecturis Ebraeorum Lib. II. Cap. XIII. §. II. p. 351. 352.